

pugnis, et in infirmi generis hominum conditione atque fortuna, timidos et supplices, et, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare cupimus: eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus! Me quidem, iudices, exanimant, et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, valeant inquit, cives mei, valeant; sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec urbs praeclara, mihi que patria carissima, quoquo modo erit merita de me: tranquilla republica cives mei, quoniam mihi cum illis non licet sine me ipsi, sed per me tamen, fruantur, ego cedam atque abibo. Si mi republica bona frui non licuerit, at carebo mala, et quamprimum tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae! Ego, cum tribunus plebis, republica oppressa, me senatui dedissem, quem extinctum acceperam: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant: mihi unquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi futurum in patria non putarem locum? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox et defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest optulari?

XXXV. Nec vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, se negat ingratis civibus fecisse, quae fecit: timidis et omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis vestris imminabat, eam, quo tutior esset vita nostra, suam se fecisse